



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Vita, Et Gestis S. Francisci Xaverii È Societate Iesv Indiarvm Apostoli Libri Qvatvor

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1666

29. Quàm vberes fructus ex Piscaria Insula.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10854**

à confessione vnus Dei, & trium eius personatum ducebatur, quam excipiebat magna, & clara vox recitantium symbolum. Ego deinceps articulos à primo relegens, eorum linguâ seorsum singulos repebebam; tum interrogabam ad singulos si verè ex animo certam iis fidem adhiberent, quod cum decussatis ad pectus brachiis vna omnes voce annuissent, subdebam tunc, atque ipsi mecum; Domine Iesu Christe Fili Dei, da huic primo fidei capiti, assentiamur fide firmâ, nec in ea vnquam vacillemus; ad hoc te oratione Dominica precamur; post quam, Sancta Maria, inquebant, Iesu Christi parens hoc ipsum nobis à filio impetres, ne vnquam in eo hæstemus: ad hoc te Verbis Angeli salutamus, Aue Maria, &c. Decursis hunc in modum Symboli sententiis duodecim, si bat ad Decalogum transitus, quem simul integrum pronuntia-  
bam is; tum retextebamus sigillatim, interiectis vt inter fidei capita pre-  
cationibus, Pater, & Aue, nisi quod pro constantia credendi, peteba-  
mus robur benè, & ex Decalogo viuendi. Dici non potest Ethnicis iux-  
ta vt & Christianis, quantæ sit admirationi legis diuinæ sanctitas, &  
mita cum ratione consensus: præ aliis Symbolum frequentius repeto, &  
inulco; tum Dei præcepta; formulam confessionis generalis recitan-  
dam curo ab omnibus, sed iis potissimum qui ad Christi lauacrum ac-  
cedunt; deinde Symbolum, vbi de vnoquoque articulo ex iis quero,  
an verum certò credant, & cum se certò credere dixerint, Christi legem  
explano, quâ vna possint æternam salutem consequi: postremo denique  
illos Sacro Fonte baptizo, & demum omnia, Salve Regina recitato, ab-  
soluo] Hactenus ipse Xaverius; iam loci vnus incolis hac tam diligen-  
ti accuratone institutis priusquam in alium migraret, seligebat, ex iis  
qui omnium maximè quæ didicerant callerent viderenturque præ aliis  
moderati, & pij, eosque dabat cæteris magistros, scripto tradens quæ  
illos docuerat, vt festis diebus vocato populo ea repeterent, quo ritu  
ab se fieri vidissent, eorumque viuacem memoriam conseruarent, iisdem  
sacras ædes committebat, quas in Pagis frequentibus, Baptismo iam  
tinctis extruxerat, vt inuigilarent iis custodiendis, & pro regionis tenui-  
tate decorandis: horum autem (quos Canacopulos ab officio quod ge-  
runt vocitabant) non est passus operam, & diligentiam suâ aliqua mer-  
cede etiam temporariâ carere, in hanc aureos nummulos quatuor mille,  
tributi nomine, quotannis ab oræ indigenis reginæ pensandos, de gu-  
bernatoris assensu, ab ea perliteras exorauit.

29  
Quam vberes  
fructus ex Pis-  
cacia Insula.

29. Quantam portò messem animarum, quos fructus operum, quàm dignos Christianitate primigenij feruoris ex ora Piscaria Sanctus Apo-  
stolus cogeret; nec ipse satis referre valuit, fatetur enim ad Ignatium  
scribens deesse verba quibus id explicet. Subdit tamen illorum qui  
erant Baptismo lustrandi, sæpe tantum fuisse concursum, vt fracta  
inquit, tingendo labarent brachia, & deficeret vox, iterando Symbo-  
lo, Decalogo, monitis, quæ de officiis Christianis, de fecilitate cœle-  
sti, penisque inferorum, repetebam, ac de bonis, prauisque operi-  
bus quæ essent ad vtrumque viæ: vno interdum die oppida integra  
ablucba

abluebat; sola tenera ætas, quæ acceptam Baptismo sanctitatem intrantem moriens ad Deum tulerat, ad mille capita ab eo censebatur. Diuinis pueri vsque aded afficiebantur, auebantque tantopere de mysteriis fidei, noui aliquid doceri, vt ei tempus, non cibi modo, somnique prariperent, verum nec ad pensum diuini officij, praberent, cogereturque ei exsoluendo captare latebras; & frustra, aded erant in iis vestigandis sagaces pueri. Concertationes etiam illorum, & prælia, cum Ethnicis, erant perpetua; venabantur idola curiosè, raptabantque ad pedes viri sancti, tam grandi numero, vt in aceros confurgerent; illie eadem omni contumeliæ genere calcata, distracta, conspueata luto & sordibus, foedabant, spargebantque in mare comminuta. Si quem verò rescissent, esto parens is foret, honoris aliquid Pagodi, hoc est idolo exhibere, audenter ac liberè arguebant, quæ si minus apud sacrilegum reprehensio valeret, deferebant ad Xauerium eius nomen, qui mox cum manu puerorum in domum impij aduolans, sublati quotquot haberet Pagodibus, puerorum ludibrio, & fannis illos, eo spectante, proponebat. Fuit quin etiam cum Christianus ab iis delatus est, quod simulachra, palam coleret, graui offensione cæterorum: huius belluinam, feramque vesaniam, quod nec probum perfidia, nec rationes commouerent, excogitauit modum quo sensum flammæ in eo excitaret, quarum iam tum cum desertoribus quos adorabat demonibus se ipse damnaret, misit qui faces ædibus perfidi subderent; vixque multis eiusdem lacrymis, & amicorum intercessionibus cessit, vt subduceretur incendio supellex; reliquis omnibus, idolis potissimum in cinerem redactis, exemplo pœnæ iis profuturo, si quos fortè apostata spiritus sollicitaret aliquando, ad ejurandam Christo fidem. Nec erat qui obstare auderet, vel aduersus eum vi aliqua vri, quem potestâs edendi miracula venerabilem effecisset, & pœna insolescentis in eum Ethnicis metuendum. Erat is ex nobilitate Manaparis, adierat hominem Xauerius solita comitate rogans hoc sibi ab eo indulgeri, tantisper vt autem cominodaret, pauca quædam ferenti quæ ab eo audiri, plurimum interesset; sed hunc barbarus ferox, nec aspectu dignatus, foribus exclusit; agresti respõso prouocans, tantumdem sibi ab eo vt fieret, si quando ad fores eius Ecclesiæ intraturus venisset. Votum inurbanum, & impium ratum facere Deus non diu distulit: paulò post, subita armatorum manu à quibus ad necem quærebatur, in fugam actus, quæ ad salutem restabat sola, concitadò ad templum ferebatur, prouocationis nuperæ immemor: insequuntur & premunt currentem clamore ac telis inimici; qui diuinis in templo dabant operam Christiani, armis, clamoribus, fugientis terrore & ipsi exterriti, ventitque direptionem templi, aut grande quid mali hoc tumultu parari, fortes claudunt, misero tantum non limen subeunte; quare templo vt sibi optauerat exclusus frustra ad opem vociferans, crudelitatem hostium discerptus expleuit. Deo illam seruo suo contumeliam, illorum manibus vlciscente.

30. Ipsi quin etiam Bracmanes, quorum occulta flagitia, & arcanam

Doctrinæ

29

Cōtumeliosus  
Xauerio ethnici  
punitur  
diuinitus.

30